

dicii, vel formaliter, vel virtualiter complexi, incomplexum objectum intelligimus: verum autem et falsum secundum contrarietatem inter se solum inveniuntur in intellectu complexo. Et similiter possumus desperare, et præsumere de ipsa consecutione Dei in se ratione illius conditionis, et modi ex parte nostra requisiti ad sperandum, qui regulatione indiget, quatenus comparamus nos erga bonum speratum, ut dictum est, et ratione hujus connotationis, et modi intelligo etiam quod dicit S. Thomas in ista quæstione VII, art. V ad secundum, quod convenit spei habere medium per accidens ratione ejus, quod ordinatur ad principale objectum: non enim solum objectum secundarium, sed etiam ista connotatio, et conditio ordinatur ad principale objectum.

XVIII. Ad secundum dicimus, quod impossibile est aliquem actum indigere regulatione nisi per ordinem ad suum objectum, actus enim sine objecto, entitas, et qualitas est regulatione non egens, per ordinem autem ad objectum primum secundum se, actus non est regulabilis, quia non potest esse nimius in ordine ad Deum secundum se: si autem deficit ab eo secundum se, non ex defectu regulationis, quæ sit in ipso objecto deficit, sicut virtutes morales, sed per abjectionem, et carentiam ipsius regulæ, et licet qui cito credit levis sit corde, non tamen qui cito credit Deo. Similiter qui difficulter credit, si difficulter, id est, dubitando credit, non credit, quia veritas prima est indubitabilis; si autem difficulter, id est, tarde, quamdiu tardat, post sufficientem propositionem objecti, nondum credit, et sic non per defectum regulationis ex parte objecti, sed per totalem abjectionem ipsius fidei dicitur non credere.

ARTICULUS IV.

Utrum possit dari spes acquisita circa objectum supernaturale?

I. Sensus difficultatis hujus procedit non de spe acquisita, quæ versatur circa bonum naturalis ordinis, sicut spes communiter dicta, nec de illa, quæ versatur circa objectum supernaturale vitioso modo sicut est præsumptio, talis enim dari non est dubium: sed inquirimus utrum circa bonum supernaturale possit versari spes ex motivo naturali, quæ tamen sit honesta, et bona. Affirmat pater Torres hic disp. LXI, dub. IV, ubi non solum asserit dari talem actum, qui sit bonus, et honestus, sed etiam postulare habitum, qui sit virtus acquisita: imo addit, quod talis virtus acquisita est theologica. Quia vero ista positio videtur admittere quatuor virtutes theologicas, contradicente Apostolo I ad Corinth. XIII: *Nunc autem manent fides, spes, et charitas, tria hæc, et refragante communi theologorum intelligentia, qui per illa tria intelligunt, tres virtutes theologicas infusas, et supernaturales, sicut infusas esse declarat Concilium Tridentinum, sessione VI, capite VII, ideo iste auctor quasi timens suæ sententiæ, addit in calce dubii, quod licet nomen virtutis theologice communiter cadat in tres virtutes supernaturales, tamen potest dici spes acquisita virtus theologica, sed tamen loquendum esse cum multis præsertim si coram imperitis sit sermo.*

II. Nihilominus omnino rejicienda est ista sententia. Et quantum ad hoc ultimum videtur plusquam falsa et censura digna, cum contradicat concordi theologorum scholæ, imo et communi fidelium iudicio

solum agnoscentium tres virtutes theologicas. Et fit argumentum: Quia quando Apostolus dicit manere fidem, spem, et charitatem tria hæc, aliquid speciale attribuit illis tribus, quod non aliis virtutibus alioquin non verificaretur manere tria hæc, cum manerent plura alia, quæ idem haberent quod tria hæc, et sic superflue illa tria, tamquam specialia nominaret. Illud autem speciale, quod habent ista tria inter cæteras virtutes, vocatur ratio virtutis theologice communiter a doctoribus, et Ecclesia; ergo si hoc speciale non convenit aliis, quam istis tribus, qui dicit aliam virtutem præsertim acquisitam, dicendam esse theologicam, vel falso nomine illam appellat, si non habet illud speciale ratione cujus illa tria ab Apostolo designata theologica dicuntur; vel si habet in rei veritate eandem rationem specialem, quam illa tria, jam non solum sunt tria theologica, quæ manent, sed plura, contra communem sensum, et intelligentiam Apostoli, qui intelligitur nominasse tria privative, id est, non plura; quare hæc pars istius sententiæ non bene sonat.

III. Quod vero attinet ad primam partem hujus sententiæ dicimus, non esse ponendam spem acquisitam, quæ sit actus bonus, et honestus circa objectum supernaturale. De quo videatur Lorea hic disp. V, num. V. Nec dissentit magister Bagniez hic quæstione XVII, art. V, in fine commentarii, qui nullam spem agnoscit, quæ sit virtus, nisi theologicam, et magister Medina 1-2, quæst. LXII, art. II, licet videatur supponere dari spem, et charitatem acquisitam, non tamen determinate explicat se loqui de spe habente pro objecto supernaturalem beatitudinem. Ratio et fundamentum est, quia talis spes acquisita deberet procedere ex motivo naturali, circa rem

supernaturalem (alioquin si ex motivo supernaturali procederet, nihil ei deesset ad supernaturalem spem, et non acquisitam) repugnat autem quod motivum naturale, possit elicere verum actum spei, circa objectum supernaturale, nam verus actus spei, debet importare efficacem voluntatem circa objectum supernaturale, quia spes importat motum intentionis, respicientem bonum, seu finem, ut consequendum (ut præcedenti articulo ostendimus ex D. Thoma 1-2, q. LXII, art. III) atque adeo spes differt a simplici voluntate, quæ efficaciam non habet, et hujus radicale principium est, quia spes non salvatur in quacunque voluntate, sed in voluntate aggremente consecutionem boni ardui, unde necessario debet esse voluntas, illativa electionis, respicientis media, per quæ aggredimur consecutionem finis. Debet ergo importare voluntatem efficacem intentionis, quia solum ex illa oritur electio: nullum autem motivum naturale est sufficiens ad hoc ut voluntas efficaciter tendat in bonum supernaturale, quia hoc motivum est improporionatum respectu assecutionis talis boni. Quod si per motivum naturale proponitur auxilium divinum in quo speretur, sed tamen cognitum naturali motivo, scilicet per fidem acquisitam, hoc ideo tale auxilium non cognoscitur cum omni certitudine, sed cum aliqua dubitatione, cum cognoscatur fide acquisita, atque adeo testimonio creato, quod est fallibile, et dubitabile: ergo ex vi talis cognitionis non formatur dictamen de divino auxilio, nisi cum dubitatione, et formidine; ergo ex vi illius non certificatur, nec firmatur voluntas, circa auxilium proportionatum ad obtinendum tale bonum supernaturale: ergo non potest formare firmam et efficacem voluntatem tendendi in

illud, ut assequendum, sed manebit voluntas dubia, et nutans, quod nondum est sperare, nec simpliciter intendere illud bonum, ut finem assequendum, sed ineffaciter desiderare, vel falso sperare, et præsumere.

IV. Dices: Ergo saltem poterit dari concupiscentia Dei auctoris supernaturalis ex motivo naturali, quia simplex concupiscentia, et desiderium, non requirit istam efficaciam voluntatis, et ita si per fidem acquisitam de Deo auctore supernaturali moveatur voluntas ad amandum Deum sic cognitum, ex motivo naturali concupiscet Deum ut supernaturale. Respondetur, quod talis concupiscentia judicanda est ex suo motivo; motivum autem est finis cujus gratia aliquid fit: potest ergo talis concupiscentia oriri ex complacentia propriæ personæ, tamquam ex motivo, et fine cujus gratia; vel potest oriri ex complacentia Dei tamquam ex fine cujus gratia, ex complacentia autem sui, tamquam ex subjecto, et fine cui vult tale bonum, non fine cujus gratia. Si primo modo se habeat talis actus non est supernaturalis neque bonus, sed peccatum, quia non habet Deum pro fine ultimo, sicut requiritur ad evitandum peccatum, quia non refert se ad illum, tamquam ad finem cujus gratia, sed potius Deum ordinat ad se: si secundo modo, talis concupiscentia est supernaturalis, tam ex parte rei amatae, quam motivi, sed tunc dicendum est, quod ex parte cognitionis regulantis illum affectum, datur aliqua cognitio supernaturalis, et non pure egreditur illa cognitio a fide acquisita. Itaque duæ cognitiones ibi sunt, alia quasi speculativa, qua ex fide acquisita per motivum naturale, et testimonium humanum cognosco Deum ut objectum supernaturale; alia quasi effectiva, et

practica, qua istud objectum sic cognitum proponitur ut finis diligendus, et ad istam cognitionem dico non sufficere fidem acquisitam ex motivo naturali, sed requiri aliquam excitationem, et auxilium supernaturale; tum, quia velle Deum, ut finem supernaturalem, etiam per modum concupiscentiæ, est initium bonæ voluntatis in ordine supernaturali, et consequenter in ordine justificationis, cum sit sufficiens fundamentum spei, quæ non prærequirit alium amorem, quam istum; ergo debet procedere ex aliqua excitatione supernaturali, quia excitatio est prima inchoatio totius justificationis, ut definit Tridentinum sessione vi, capite vi; tum etiam, quia fides acquisita, licet possit motivo naturali attingere Deum supernaturalem, ut materiale objectum, tamen illa fides non est practica, sed pure speculativa, quia esse simul speculativum, et practicum est proprium altioris ordinis, et fidei supernaturalis, ut de theologia tradit S. Thomas 1 part. quæst. 1, art. iv: et de dono intellectus 2-2, quæst. viii, art. iii: et de dono sapientiæ ibidem quæst. xlv, art. iii solum enim convenit fidei supernaturali, quod per dilectionem operetur. Quare licet illa fides acquisita, possit manifestare modo naturali Deum supernaturalem, non tamen affectivam cognitionem formare de Deo supernaturali fine, atque ita id pertinebit ad auxilium supernaturale Dei. Unde resolutorie loquendo, non video quomodo salvari possit in voluntate aliquis actus amoris Dei auctoris supernaturalis, ex motivo naturali, nam cum motivum voluntatis sit bonum, et finis, si habet pro motivo ipsum Deum ut supernaturalem, sic actus ille supernaturalis manet ex parte motivi. Si autem aliquid extra Deum habeat pro motivo, et fine cujus gratia, ta-

lis actus non est honestus, quia subordinat Deum alteri fini.

V. Sed objicies locum difficilem S. Thomæ 1-2, quæst. lxxvi, art. vi ad secundum, ubi loquens de spe theologica, dicit quod: « Spes præsupponit amorem ejus, quod quis adipisci sperat, qui est amor concupiscentiæ, quo quidem amore magis se amat qui concupiscit bonum, quam aliquid aliud. » Ita D. Thomas. Ergo falsum est quod amor, qui habet pro motivo complacentiam sui ad concupiscendum Deum sit peccatum, alioquin fundaretur spes theologica in amore pravo.

VI. Respondetur vere esse admittendum, quod amore concupiscentiæ aliquis magis se amat, sed subly magis distinguendum est, quod potest magis se amare, ut finem cui, et solum ut subjectum cui concupiscit bonum, et utrumque permittit amor concupiscentiæ, quia potest concupiscere sibi ut fini, vel ut subjecto. Quando ergo concupiscit Deum sibi, si recte amat, debet illum amare ut finem cujus gratia, si vero magis amaret ut finem cui, seu subjectum, non ut finem cujus gratia peccaret, ut bene vidit Cajetanus hic quæst. xvii, art. v, contra Durandum. In amore autem amicitiae, persona amici est magis amata, ut finis cui, quia est subjectam cui volo bonum, nec requiritur, quod persona amici sit finis cujus gratia, præsertim ultimus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Fundamenta patris Torres facile solvuntur ex dictis, objicit enim quia potest alicui per fidem acquisitam proponi aliquod bonum, ut futurum a Deo, et per auxilium divinum, quæ propositio non sufficit ad spem infusam, quia spes infusa habet omnimodam certitudinem de-

ductam ex firmitate fidei; per fidem autem acquisitam non potest proponi cum tanta firmitate, neque modo supernaturali: non ergo est actus spei infusæ; est autem ille actus honestus, et bonus, quia non est contra aliquam regulam rationis. Quod vero generet, et postulet habitum probatur, quia versatur circa bonum futurum a Deo supernaturaliter auxiliante; ergo habet difficultatem animus in aggrediendo talem spem, debet ergo vinci per habitum. Unde in hæretico amittente fidem, et spem infusam, manet facilitas ad sperandum bona supernaturalia, quæ est spes acquisita. Quod vero sit virtus theologica probat, quia respicit Deum ut objectum formale, quatenus sperat aliquod per auxilium divinum; hoc autem est objectum formale spei theologice, licet diverso modo, et cum diversa certitudine, quam spes infusa. Secundo, probari potest hæc sententia, quia non repugnat dari fidem acquisitam circa Deum auctorem supernaturalem ex motivo naturali; et similiter datur charitas acquisita, ut communiter omnes admittunt; ergo neque repugnat dari spem acquisitam.

VIII. Ad primum respondetur supponendo, quod spes theologica non salvatur si solum habeat pro objecto primario sperato aliquid creatum (ut sæpe dictum est) unde solum admittimus argumentum, quantum ad hoc quod est sperare Deum ex motivo naturali. Respondetur inquam per fidem acquisitam non posse proponi Deum, ut assequendum efficaciter et practice, sicut requiritur ad motum spei, imo nec sicut requiritur ad amorem debitum rei supernaturali, eo quod per fidem acquisitam non potest formari dictamen firmum, et efficax de auxilio proportionato ad assequendum Deum, et consequenter neque in-

voluntate potest sequi efficax motus intendendi assecutionem talis finis. Unde non stat casus patris Torres, quod desit firmitas illi spei regulatæ per fidem acquisitam, et maneat vera ratio spei, quia ablata certitudine mediorum ad finem tollitur certitudo, et efficacia in intentione talis finis, quia intentio est de fine, ut assequendo per media; fides autem acquisita potest quidem speculative proponere res supernaturales, sed practice non potest dare certitudinem, cum ipsa in certo motivo nitatur; unde non manet vera spes in hæretico, sed præsumptio erga Deum assequendum.

IX. Ad secundum respondetur esse disparem rationem de spe, et de fide, et charitate, quia charitas, si est acquisita, non tendit in Deum auctorem supernaturalem, sed ut est naturalis finis, unde non est ad propositum; nam etiam potest dari spes acquisita de assecutione Dei auctoris naturalis, id est, ut cognoscendo per effectus, et non in se; fides autem potest ex testimonio creato credere Deum auctorem supernaturalem, tamquam rem creditam, res enim superiores possunt per inferiores attingi, licet imperfecte. Et similiter voluntas potest ex motivo naturali attingere Deum auctorem supernaturalem, sed tamen neque efficaciter ut requiritur ad motum spei, ex defectu proportionati motivi, neque licite ut requiritur ad amorem honestum ex defectu debiti finis, qui est motivum amandi. Nam si propter ipsum Deum tamquam finem cujus gratia, imperfecte concupiscat illum sibi ut subjecto, non ex motivo naturali, sed supernaturali amatur: quod vero aliquis cognoscat Deum ex testimonio creato nihil indebiti finis, et motivi apponit, quo talem cognitionem illicitam reddat.

DISPUTATIO V.

DE SUBJECTO SPEI THEOLOGICÆ, EJUSQUE CERTITUDINE.

ARTICULUS I.

Utrum in beatis maneat habitus, vel actus spei theologicæ?

I. In hac difficultate opponuntur inter se pater Suarez et pater Vazquez, consequenter ad ea, quæ docuerunt de formali ratione habitus spei, ut articulo primo disputationis præcedentis visum est; etenim pater Suarez existimat manere habitum spei in patria, non tamen quantum ad denominationem spei, quia tollitur principalis actus ejus, qui est sperare beatitudinem, sed manet quoad alios actus, qui etiam ab isto habitu eliciuntur, et quoad actus secundarios sperandi, sicut spes de gloria corporis, de beatitudine aliorum, et similes alii, qui statui beatitudinis non repugnat. Ita habet in tractatu de spe, disp. I, sectione ultima, num. v, et III part. disp. VII, art. IV, in commentario articuli. At vero pater Vazquez I tom. III part. disp. XLIII, cap. II, per oppositum existimat habitum spei theologicæ non manere in patria; posse tamen dari actum spei theologicæ proprium, et principalem.

II. Fundamentum istarum sententiarum ex dictis in articulo primo disputationis præcedentis deducuntur, et fere omnia expedita sunt. Existimat ergo pater Suarez, habitum spei non esse solum principium actus sperandi, sed etiam concupiscendi, desiderandi, gaudendi,

etc. Et ad istos actus in patria manere habitum illum, licet non sub denominatione spei, respectu ipsius beatitudinis, et similiter potest manere iste habitus ad alios actus secundarios sperandi sicut ad sperandum gloriam corporis, et alia objecta similia, nam respectu talium objectorum manet in beatis sufficiens ratio ardui, quia licet sit debita gloriæ animæ ipsa gloria corporis, respectu tamen voluntatis, et naturæ simpliciter manet bonum supernaturale; ergo bonum excedens et arduum, utpote dandum per alterius auxilium; ergo potest actum spei terminare. Et similiter ad sperandum aliis beatitudinem potest deservire beatis ille habitus, quia non solum ex charitate possunt illam desiderare alii, sed etiam tamquam adhuc futuram, et arduam, et non possessam, possunt illam sperare. Ac denique possunt habere illum actum conditionatum, quod si haberent beatitudinem, sperarent illam, qui actus sufficit, ut maneat talis habitus, sicut ad similes actus conditionales manent virtutes morales, ut infra ponderabitur.

III. At vero pater Vazquez ex alio fundamento procedit, quia existimat ad rationem spei theologicæ sufficere, quod sub ratione divini auxilii speretur, quodcumque bonum, sive creatum, sive increatum, et hoc ipso manet sufficienter arduum, quia speratur ut dandum per alienam potestatem. Et cum beatus possit respicere aliquod bonum creatum, ut futurum sibi per divinam potestatem, potest habere actum spei theologicæ. Habitus tamen dicit de facto non habere beatos, quia esset in illis otiosus, si quidem de facto nihil illis deest, quod sperent, gloria enim corporis, quæ modo deest non cogit, ut ponamus habitum, quia facta resurrectione non

est amplius speranda, atque adeo, tunc deberet talis habitus amitti: est autem inconveniens, ut in beatis amittatur habitus quem semel habent, et sic convenientius est, quod modo amittant illum, et pro isto brevi tempore, usque ad resurrectionem detur illis ad sperandum auxilium per modum transeuntis. Ad ea vero quæ de potentia absoluta possunt sperare, non est necesse ponere habitum, sed si aliquid Deus illis promiserit dare, ex auxilio transeunti poterit.

IV. Dico primo: In beatis, neque manet actus, neque habitus spei theologicæ, erga principale objectum. Est expressa D. Thomæ hic quæst. XVIII, art. II, et 1-2, quæst. LXVII, art. V et IV, et III part. quæst. VII, art. IV. Et communiter traditur a patribus, et theologis, qui videri possunt apud Lorcam hic disputatione VII. Et quidem de actu sperandi principale objectum, nulla est difficultas; constat enim beatitudinem possideri et videri, spes autem quæ videtur non est spes: *Quod enim videt quis, quid sperat?* ut dicitur Roman. VIII; de continuatione autem beatitudinis de qua aliqui dubitant, etiam constat non posse esse objectum spei; tum, quia illa continuatio non est futura, cum vita æterna careat futuro, hoc ipso quod æterna est, sed est tota simul ut S. Thomas advertit hic quæst. XVIII, art. II ad secundum; ubi non vult dicere D. Thomæ, quod quia omnes sunt præsentia in æternitate, ideo non habet illa beatitudo rationem futuri, ut perperam intellexit illum pater Torres, hic disp. LXII, dub. I, commune est enim omni creaturæ existere sic in æternitate; sed sensus D. Thomæ planus est, quod visio beatifica secundum propriam mensuram, non mensuratur tempore in quo solum invenitur futurum et præteritum, sed mensu-